

nianus Antistius ex Valentia Hispaniæ ordinis Prædicatorum scripsit vitam confratris et concivis sui B. Vincentii Ferrarii, vel Ferrerii Valentini ex eodem ordine Prædicatorum, » qui in teterrimo schismate inter Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII et Angelum Corrarium, nuncupatum Gregorium XII, qui in concilio Pisano, et subinde una cum Joanne XXIII, in concilio Constantiensi depositi fuerunt, electo in Pontificem Martino V, ac magna parte Hispaniæ Petrum de Luna, seu Bened. XIII, tanquam verum et legitimum Pontificem colente, aliquibus vero Italiæ civitatibus Angelo Corrario, seu Gregorio XII, pariter tanquam vero et legitimo Pontifici adherentibus, licet ipse in primis bona fide Petri de Luna, seu Bened. XIII, partes secutus, auctor etiam fuerit, ut reges Aragoniæ eidem adhererent; attamen statim ac ejus obstinationem, et malas artes perspectas

SCHISMATICA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, num. 26.

SCHOLASTICUS.

Lubet, quod sequuntur, expendere.

(1. Scholis *scholares* et *scholastici* dicti, qui in eis exercebantur. Hæc prima ejus vocis acceptio: altera pro erudito. Hieronymus libro *De viris illustribus*, cap. xviii. *Serapion. Thmucos episcopus, qui ob elegantiam ingenii, cognomen scholastici meruit.* Gennadius, in *Catalogo* c. 84: *Prosper homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus, et assertionibus nervosus.* Dionysius Petavius illud Synesii ad epist. 103: *Cura, ut hæc scholastici sciunt, utrovic modo explicat, cum ait: « Scholasticos appellat eruditos ac peritos homines, qui in Musæo Alexandrino litteris vacabant, quive alias elegantiam ingenio ac bonis artibus exercitati. »* Tertium hujus vocabuli usum suggerit inter alios Heribertus Rosweidius, in *Onomastico ad Vitas Patrum*; nempe pro advocato, qui publice ex officio causas ageret; probaturque in primis ex canone 13 concilii *Sardicensis*, ex cod. Theod., l. II *De concuss. advocat.*, et ex titulo 97 Collectionis Africanæ. Quartam scholastici significationem invexerunt, præsertim in *Gallias*, sæcula recentiora: ex quo sancitum est a Carolo Magno, ut scholæ fierent *per singula monasteria vel episcopia*: hinc enim in ecclesiis cathedralibus instituta sunt magistræ præbendæ, quæ in eorum subsidium cederent.

(2. In monasteriis igitur, ecclesiisque, cum cathedralibus, tum etiam collegiatis, scholasticus supremus studiorum simul ac disciplinæ Eccles. fuerat præfectus, varios habebat coadjutores in docendo; plerumque vicarium, qui etiam dicebatur *magister secundarius*, sæpius etiam religiosos, qualis fuerat *Marianus Scotus*, et hinc est, quod varii archiepiscopi Mog. in diplomatibus laudent præcepta a prima juventute ab Ec-

habere cœpit, Ferdinando regi Aragoniæ persuasit, ut ab ejus obedientia se subduceret, edictumque publicaret, quo suis subditis inhiheret, quin ullam ad eum, tanquam ad Pontificem, adhæsiorem, quocumque prætextu haberent; sicque ejus potissima opera schisma extinctum penitus fuit.

(35. Schismata, quæ vexarunt Romanam Ecclesiam, vide tomo VI hujus Biblioth., in serie *Romanorum Pontificum*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(36. Communiter admittitur, schisma adjunctam habens hæresim, crimen esse ecclesiasticum, prout est ipsa hæresis, adeoque pertinere ad iudicium solius ecclesiastici iudicis. At non convenit, num idem obtinere debeat in schismate mero sine hæresi. Confer Vanspen, *Jur. eccles. univ.* part. III, tit. 4, cap. 2. § 52.

clesia Mogunt. beneficia: prout ea extollat *Christianus* in allegato supra § 18, diplomate, ubi ait, « quod Ecclesia Mogunt. ipsum ab annis adolescentiæ tanquam mater pia delicatis alimoniis enutriverit. » Varios autem circa alendos hosce domicellares in Ecclesia Mogunt. fuit disciplina: ab initio scholasticus ex præbendis hisce domicellaribus assignatis victum et amictum suppeditavit, id quod in aliis etiam Ecclesiis collegiatis usu erat receptum, prout de Aschaffenburgensi probat diploma apud Gudenum, *loc. c.*, t. I, p. 353.

(3. Cum autem occasione hujus sustentationis circa annum 1146, dissidia orirentur scholasticum inter ac canonicos seniores domicellarium cognatos, hi effecerunt penes Henricum archiepiscopum, ut ipsi curam eorum haberent, prout clare patet ex diplomate Henrici apud Gud., *l. c.*, t. I, p. 180, ubi ait: « Præterea perpendimus, quod Fratres nostri (scilicet cononici Metrop.) de jure scholastico circa suorum Cognatorum Scholarium, videlicet canonicorum, domesticam provisionem cum magistro Scholarum ad lites indebitas et contentiones frequentibus prorumpere consueverunt. Ut ergo in his occasio litis penitus deficiat, et in Ecclesia Mogunt. pax et concordia magis ac magis proficiat et convalescat, prælati Ecclesiæ Moguntinæ consentientibus, honorabili quoque viro, paci ac fraternæ charitati omni modo intento Wilhelmo Scholarum magistro, quam devote postulante x libras in Studernheim magistro Scholarum annuatim persolvendas stabili jure tali tenore donavimus, quatenus in hac parte salvo et incorrupto jure omnium aliorum tam præsentium quam succedentium Scholasticorum Moguntini episcopatus

memorati fratres nostri consanguineis suis scholaribus canonicis de stipendiis præbendalibus in domibus suis victum et vestitum eo moderamine provideant, ut et ipsi ex hoc sui laboris consolationem percipiant, et magistri Scholarum de prædictis redditibus sui juris debita compensatione non careant.

(4. Hoc autem postea immutato, provisio ac sustentatio domicellarium denuo concedita fuit Scholastico, prout patet ex diplomate Conradi de a. 1190, apud Gud., *l. c.*, t. I, p. 293, qui ait: « Volumus non latere, quod habito nostræ Ecclesiæ consilio et consensu, ad petitionem dilecti filii nostri Petri scholastici jus scholasticum sibi et successoribus suis, ne de cætero in eo fiat defectus, plene integramus, ita videlicet, ut omnes de cætero scholares canonici tam præsentibus quam futuri in Ecclesia Moguntina usque ad emancipationem cum suis præbendis in procuracione sint magistri, nisi magistri liberalitas alicui gratiam faciat omni cognatione sanguinis et cognatorum pro eis intercedentium occasione remota: nullo rescripto, nec etiam rescripto archiepiscopi Henrici contra jus scholasticum per subreptionem obtento, contra hoc impetrato vel impetrando, obstante vel scholastico juri præjudicium faciente: magister vero scholares ipsos secundum Ecclesiæ honorem nutriat moribus, disciplina, scientia, victu, et vestiat in pellicis agnitis (28), et pannis (29) lineis et laneis (30) secundum Ecclesiæ consuetudinem sufficientibus, et de quibus non vult habere curam vestiendi, dummodo sint adulti, denarios omnes de carne magister recipiet, et de pisce refectiones (*Sciendum enim sæpius ex fundatione vel consuetudine cibum particularem in carne vel pisce mensæ apponendum fuisse certis diebus: hic cibus redimebatur a magistro coquinæ denariis, dum quivis ex canonicis pro sua portione collationis loco accepit aliquos denarios*), porcos de natiuitate (* scilicet in Natiuitate Domini cuius dimidius porcus dandus erat, vel redimendus pecunia numerata. Conf. diploma seq. *) et denarios, qui dantur ad supplementum

SCIENTIA CONFESSARII.

Vide verb. CONFESSARIUS, art. 1, a num. 48 ad 51.

SCIENTIA IN BENEFICIARIIS.

NOVUS ARTICULUS EDITORUM CASINENSIIUM.

Vid. *Addit. Casinenses* sub. v. INSTITUTIO.

SUMMARIUM.

1. Quæ scientia requiratur pro obtinenda beneficio ecclesiastico in genere, ad n. 2. — 5. Quanta opus sit pro obtinenda pensione. — 4. Item pro beneficio simplici, ad n. 5. — 6. Quanta requiratur

(1. Operæ pretium facturum esse ducimus, si hanc materiam accurate, pleneque evolavimus, hoc sane pacto.

(28) Scilicet pro caligis.

(29) Vulgo Breis Zeug.

panis (* certis equidem diebus, præter consuetum panem accedere album ex siligine coctum, qui dicebatur *simila*, pro quo pane in natura etiam dabatur quandoque nummus, et sic patet, quales fuerint nummi ad supplementum panis*) magister retineat. Alios vero denarios eleemosynares (* Tales distributiones etiam quandoque fiebant non habito respectu ad mensam, sed ex particulari fundatione *) et denarios de vestibus. (* Tales dabantur, ut meliores vestes sibi comparere possent fratres, quales adhuc hodie in variis monasteriis distribuuntur *) scholares recipiant, et si magister voluerint plus eis largiri, non sit ei, successoribusque suis præjudicium. »

(5. Addere tandem juvat ex t. III *Theauri juris ecclesiastici*, a cl. viro Antonio Schmidt collecti p. 218, juramentum, quod præstare scholasticus tenebatur. *Primo* « quod verbum capituli in capitulo, et extra per se vel per alium proferet. Item quod litteras capituli eodem modo dictabit et scribi faciet. Item quod secreta capituli tenebit et non revelabit. Item quod alia, ad quæ tenetur ratione officii sui, adimplebit, videlicet, quod si absens fuerit ab Ecclesia, ipse loco sui instituet canonicum idoneum ad proferendum dictum verbum, et dictandum, et scribi faciendum dictas litteras capituli, assignandum locum canonicis, et audiendum lectiones in choro, et cætera faciendum, ad quæ ipse scholasticus tenetur, et quod dicto canonico de salario competentis arbitrio capituli moderando, anno quolibet satisfaciet, de promptioribus fructibus ipsius scholasticæ. Et quod observabit pro posse suo fundum scholasticæ suæ, ac jura solita solvi Ecclesiæ per prædecessores suos exsolvet. Item, quod anno quolibet tempore debito, videlicet Paschæ, capitulo præsentabit magistrum Scholarum de idoneitate per ipsum capitulum examinandum, et si idoneus inveniatur, admitendum. Adjicitur dein adhuc quedam obligatio scholastici de certa summa pecuniæ solvenda Ecclesiæ singulis annis, ex quibusdam bovis, quod huc non spectat.

pro dignitatibus et canonicatibus. — 7. An valida sit collatio beneficii facta illitterato, ad n. 11. — 12. Scientia probanda venit per examen, ad n. 15. — 14. Qua in materia examinis sunt attendenda, ad n. 25.

(2. Ac primum, in genere loquendo, ea scientia ad unumquodque beneficium requiritur, quæ ad officium beneficio annexum

(30) Tunica erant ex lana.

rite obeundum, est necessaria, ut patet ex cap. *Cum in cunctis* 7, De elect. Quare major vel minor scientia requiritur, pro qualitate et conditione beneficii. Pirrhing, ad tit. ex. *De atat.*, etc., n. 21.

(3. Hinc quæres, 1. Quanta scientia requiritur ad obtinendam pensionem?

ḡ. Cum ad primam tonsuram solum requiritur, quod quis sciat legere et scribere. Conc. *Trident.*, sess. xxiii, cap. 4, *De reformat.* « Id videtur sufficere et requiri ad obtinendam pensionem, ad quam requiritur tonsura, ita ut possit et sciat recitare officium parvum B. Mariæ, ad quod pensionarii tenentur ex constit. Pii V. » Garcias, *De benefic.*, part. vii, cap. 7, n. 4.

(4. Quæres adhuc : quæ scientia requiritur pro consecutione beneficii simplicis?

ḡ. Si non habet annexum ordinem ullum, vel servitium, requiritur item tanta scientia, quanta opus est pro prima tonsura, hoc est ut sciat rudimenta fidei, ac legere et scribere (ita pro prima Tonsura præscribitur a concil. *Trident.*, cit. sess. xxiii, c. 4); præterea « requiritur aliqualis major notitia sacramentorum, et aliqualis intelligentia linguæ Latinæ (intellige respectu Ecclesiæ Latinæ), ut aptus quis sit ad recitandum officium divinum, etsi non esset spes plus proficiendi. » Sic Leurenus, *For. benefic.*, part. i, cap. 2, § qu. 244; Castrop., tom. II, tit. 13, disp. 4, p. vi, n. 9, nec non Garcias, *De benefic. cit.*, part. vii, cap. 7, n. 5 et 8, ubi sic habet : « Videtur Navarr. velle sufficere, quod sciat legere et construere, quod videtur verum et in praxi receptum... Et accedit quod docet Hojeda, nempe, quod ad beneficium simplex, quod servitium aliquod non requirit, nec ordinem aliquem habet annexum, sufficit prima tonsura et sufficientia, quæ ad eam requiritur, nempe quod sciat fidei rudimenta, ac legere, et scribere, et quod aliquantulum linguam Latinam intelligat, ut possit esse aptus ad officium recitandum? »

(5. « Si vero beneficium habet annexum ordinem sacrum, requiritur major doctrina, majorisque scientiæ spes, et in specie scientia illa, quæ necessaria est ad ordinem illum recipiendum. (Jam vero) requirit *Trident.*, sess. xxiii, cap. 13, ad subdiaconatum et diaconatum, ut quis sit instructus in litteris, et iis, quæ ad exercendum ordinem pertinent; et cap. 14, ad presbyteratum (requirit), ut quis idoneus sit ad docendum ea, quæ omnibus necessaria sunt ad salutem et ad ministranda sacramenta. Quo decreto stante, juxta Fagnanum, cap. *Cum in cunctis*, De elect., num. 151, promoveri non possunt ad presbyteratum parum scientes, cum episcopus in hoc decreto Concilii dispensare nequeat, ne quidem ex magna causa (31). » Leuren., *loc. cit.*, num. 2.

(31) Unde sacra congregatio Concilii, etiam in locis, ubi maxima est sacerdotum inopia, nunquam censuit, ignaros posse promoveri ad sacros (ordines), licet jam promotis ad presbyteratum censue-

(6. Quæres : quæ scientia requiritur ad dignitates et canonicatus?

ḡ. Requiritur majorem quamdam, quam præcise necessaria est ad ordinem dignitati vel canonicatui annexum, eo quod munus seu dignitas industriam debeat, quippe cum a canonico consilium dandum sit; unde major requiritur scientia in canonico cathedralis, quam collegiatæ. Leuren., *loc. cit.*, quæst. 245.

Audiamus insuper monacellum, qui sic habet : « Quamvis canonicatus etiam cathedralis, dicatur beneficium simplex, nihilominus ad illum obtinendum requiritur scientia major, quæ non exigitur in clericis Minorum ordinum; et quod canonicus non solum linguam Latinam recte calleat, sed in litteris ita profecerit, ut suo consilio possit aliquando ecclesiam et episcopum juvare, ne contingat, ad capitulum duci oves et boves; jura etenim præsumunt, canonicos Ecclesiæ cathedralis esse peritos et consilio maturos. » Cap. *Statutum*, De rescript. in 6; *Formul. pract.*, tom. I, form. 11, num. 2, pag. 116.

Profecto concilium *Tridentinum* hortatur, ut in provinciis, ubi id commode fieri possit, « Dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatum in cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatibus in theologia vel jure canonico. » Sess. xxiv, cap. 12, vers. *Hortatur*.

Verum quidem est, concilium *ibi* non præcipere, sed hortari, prout sacr. congregat. censuit, apud Garciam, *De benefic.*, part. vii, cap. 7, n. 45. Sed ex illa *Tridentini* loquendi ratione utique planum est mentem Patrum fuisse, ut in promovendis ad hujusmodi canonicatus capacitas seu scientia haud posthaberetur.

(7. Quæres : « An valida sit collatio beneficii facta illitterato? »

Distingue « Vel beneficium confertur penitus illitterato; vel illi, qui quidem non penitus illitteratus est, scientia tamen per sacros canones requisita caret.

« Si primum : collatio beneficii est ipso jure nulla; et quidem ita ut, secundum aliquos, in defectu hoc nequidem Papa dispensare possit, quod existiment, litteraturam jure naturali, ac divino requiri ad beneficium obtinendum. Contrarium tamen defendit Azor... ubi vult defectum istum a Pontifice dispensabilem esse, ex ratione, quod Papa beneficium a functione et administratione bene liberare, aut per vicarii vel administratoris constitutionem sublevare eundem possit; et confirmat hoc etiam praxis, quia passim videmus, quod Papa interdum ex gravi causa cum pueris illitteratis dispensat, ut primam tonsuram accipiant, et beneficia ecclesiastica consequantur.

rit conferri posse parochiales Ecclesias, quando litteratiores inveniri non possunt. » Fagn., ad cap. *Cum in cunctis*, De elect., n. 152.

(8. « Si secundum; et beneficiarius tantum non habeat scientiam ad beneficium requisitam, collatio quidem, vel promotio non est ipso jure irrita, est tamen a superiore irritanda, tanquam contra sacros canones facta. Cap. *Qualiter*, 17, cap. *Dudum* 22, De elect., quia carens litteris. Sacris non potest esse aptus officii, ut dicitur can. *Illitteratos*, dist. 28, imo talem ad beneficium resignandum in conscientia obligari docet Layman... Excipitur, nisi promotus speret, se scientiam ad munus suum necessariam non longo post tempore acquisiturum; tunc enim retinere beneficium, vel dignitatem, ad quam promotus est, potest, sed tenebitur addiscere, quod ignorat, quam primum commode potest. » Schmalzgrueber, ad tit. *De atat.*, etc., n. 25.

(9. Quod quidem docet Garcias, dum habet : « Beneficiatus, qui non habet scientiam competentem beneficio, quamvis collatio vulerit, tenetur addiscere quam primum commode possit; et alias tenetur illud dimittere. » *De benefic.*, part. vii, cap. 7, n. 21.

(10. Audiamus insuper Pirrhing in hac verba : « Si quis non sit penitus illitteratus, tamen scientiam competentem et requisitam ad beneficia non habeat, collatio quidem est illicita, sed valida; et tenetur beneficiatus addiscere quod ignorat, quam primum commode poterit, alias debet beneficium dimittere. » Ad tit. ex. *De atat.*, etc., n. 22.

(11. « Porro, poterit episcopus (quamvis id raro faciendum) ex justa causa conferre beneficium ei, qui parum scit, creditur tamen brevi tempore profecturus, cum possit pro aliquo tempore in obligatione annexa beneficio dispensare. » Leurenus, cit. *For. benefic.*, p. 1, quæst. 257.

(12. Jam vero illud tene « scientiam litterarum non aliter internosci et probari, quam mediante examine... Potest tamen, cessante concursu, ad actum hujusmodi examinis procedi extrajudicialiter, ejusque commissio est potius confidentialis, quam judicialis, unde potest subdelegari; atque ita probatio a solo examinatore concludi : et sicut collatio, ita et examen hoc tanquam illius accessorium, et non minus voluntariæ jurisdictionis, potest fieri extra territorium. » Leuren., *ibid.*, quæst. 251, n. 4.

(13. Cumque hujusmodi examen non sit exclusive necessarium « prout est illud, quod fit, et est pro, seu de forma, (ut in provisione Eccl. Paroch.) hinc est, ut non obstante clausula : *si idoneum repereris* sufficiat, examinatore, etiam non facto examine, eum habuisse pro idoneo, ut forma litterarum observata censeatur. » Leuren., *l. et n. cit.*

(32) « Limitatur, quod is qui fuit ordinatus, vel obtinuit beneficium in una diocesi, si postea conferatur ei beneficium in alia diocesi, iterum examini subijci potest : rationem dat Fagnanus, quia forte in diocesi, in qua confertur ei aliud beneficium, sunt alii mores, quibus se promovendus conformari debet. » Pirrhing, ad tit. ex. *De etate*, etc., n. 4, vers. *Limitatur*, 6.

(14. (Amplius) « sciendum, quod eo ipso, quod aliquis sit admissus et ordinatus in sacris ordinibus, præsumitur habilis et idoneus ad beneficia simplicia, ita ut novo examine opus non sit. Cap. *Accepimus*, 13, De etate, etc., ibi : *Quos a te, vel prædecessoribus tuis ordinatos fuisse constaret, eos, præsertim quoad obtinendum beneficium, debes idoneos reputare, quos ad ordines suscepisti*. Rota decis., *ib.*, n. 1, part. II. Divers. et fuit Decisum, in una *Gien. Capellaniæ* 8 Jun. 1605, coram R. P. D. *Lancellotto*. » Sic Hieron. Gonzalez, *super Reg.* 8, *Cancell.*, Gloss. 4, n. 74; Pirrhing, ad tit. *De atat.*, etc., num. 4.

(15. « Præterea in curia servari videmus, quod semel examinatus et approbatus ad unum beneficium simplex, non amplius examinatur ad aliud simile; idem est, si semel sit approbatus ad canonicatum, vel dignitatem in collegiata, non amplius examinatur ad similem canonicatum vel dignitatem in alia collegiata : similiter semel approbatus ad canonicatum vel dignitatem in cathedrali, non ultra examinatur ad similem. » Idem Gonzalez, *ibid.*, n. 88; Pirrhing, *loc. et n. cit.* (32).

(16. « Sicut etiam examinari non debet, qui est notorie litteratus et habilis : Felinus. Decius. Lambertinus. Greg. Lupus. et in graduatis, quod excusentur ab examine, ex quo jam sunt examinati et approbati ab Universitatibus, ne fiat injuria ipsis Universitatibus, tradit Rebuffus... » Gonzalez, *ib.*, n. 86, 87.

(17. « Limita tamen primo, ut semel approbatus amplius examinari non debeat, quando examen est pro forma assignatum; quia tunc nullatenus omitti potest, alias actus corruet; quamvis promotus sit persona nota pro valde litterata, bene merita et famosa (33)... Quo fit, ut in terminis concil. *Tridentini*, sess. xxiv, cap. 18 *De reformat.*, De provisione parochialium, cum ibi requiratur pro forma examen per concursum necessario fieri (debeat), ut sæpe censuit sacra congregatio Concilii. » Gonzalez, *l. c.*, n. 89, 90.

(18. Hinc porro est, quod parochialem ecclesiam assecutus, quam postea dimisit, non potest eandem assequi sine novo examine; ut fuit dictum in una *Beneventana parochialis*, apud Pyrrum Corradum, *Prax. benefic.*, lib. III, cap. 4, n. 5.

(19. Sic etiam rector unius Ecclesiæ parochialis, si ad aliam paroch. aspiret, nequit ad hanc promoveri absque novo concursu, ut decrevit eadem sacra congregat. Concilii per hæc verba : « Episcopus potest, occurrente vacatione beneficii curati, vocare et admittere ad concursum, habentem aliud

(33) Unde « non excusatur ipsemet vicarius episcopi, nec archidiaconus, vel penitentiarius, nec aliqua persona eminentis, quantumcumque idonea, et in dignitate ecclesiastica constituta, ut etiam declaravit eadem sacra congregatio Concilii : » apud Gonzalez, *super Regul.* 8, *Cancell.*, Gloss. 4, n. 92.

beneficium curatum, sed non potest sine concursu, licet obtinuerit beneficium, quod possidet, per concursum. » Apud eundem Pyrr. Corradum, *loc. cit.*, n. 12, cæterum vid. amplius v. BENEFICIUM, art. 3, n. 21 et seqq.

(20. « Secundo limitandum, quod supra diximus, ordinatum in sacris esse habilem absque novo examine ad beneficia simplicia, quando aliqua causa de novo supervenit, utpote, quia per bonum intervallum fecit intermissionem seu diversionem a studiis, quia tunc etiam si pro forma non requireretur examen, deberet examinari ratione novæ causæ, ut insinuant declarationes illustrissimorum cardinalium nuper allatæ (in num. hic supra notatis). » Gonzalez, *l. c.*, n. 96.

(21. « Tertio limita, quando constaret, quod talis promotus ad ordines sacros, fuit indigne promotus. » Idem, *ibid.*, n. 99.

(22. Ultimo « Limita, quando beneficium simplex esset qualificatum, veluti dignitas

SCRIPTURA SACRA.

Præstat sequentia adnotare.

(1. Scriptura sacra dicitur *Biblia* a voce Græca *biblos*, quæ *librum* significat. Unde antonomastice sacra Scriptura vocatur *liber*, eo quod sit omnium librorum Liber tum sui origine, tum sanctitate, tum præsertim utilitate. jam figuratus in illo, quem vidit *Joannes in Apocalyps.* c. v, ibi: *Et vidi in dextera Seditis super thronum librum scriptum intus et foris.*

(2. Scriptura sacra, quæ breviter definitur: « Verbum Dei scriptum, *fusius et clarius definitur, quod sit.* » Volumen sacrum dictante Spiritu sancto ad salutem hominis conscriptum, et ut tale ab Ecclesia receptum. » Est in re communis.

(3. Dictum sacrum volumen est aggregatum quoddam ex septuaginta duobus canonicis libris particularibus, scilicet quadraginta quinque Veteris Testamenti, et viginti septem Testamenti Novi in unum codicem redactum. Communis ac certa. (4. Diei autem septuaginta duo libri canonici sunt sequentes recensiti a concilio Tridentino, sess. iv, in decreto *De canonicis scripturis*: Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, nempe vet. test. « Genesis, Exodus, Leviticus, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, et secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus et secundus: Novi Testamenti, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad

Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri apostoli duæ, Joannis apostoli tres, Jacobi apostoli una, Judæ apostoli una, et Apocalypsis Joannis apostoli. »

(5. Prædictus numerus librorum canonicorum sacre Scripturæ non est novus, sed antiquissimus in Ecclesia catholica, et receptissimus: omnes enim prædicti libri inter canonicos recepti sunt in concilio *Carthaginensi*, cap. 47, celebrato anno 397. Vide infra n. 6. Item in concilio *Romano I*, sub Gelasio Papa celebrato anno 496. Atque in aliis subsequentibus conciliis, et præsertim in concilio *Florentino*, in decreto *Unionis*. (6. Unde libri canonici dicti sunt, vel quia continent normam et regulam, quam in fide et moribus sequi tenemur: *Canon* enim Græcæ, Latine *Regula* nuncupatur, textu expresso in cap. *Canon 1*, distinct. 3, vel quia in catalogum librorum divinatorum sunt ab Ecclesia in dictis conciliis relati. * Adde testimonium Ecclesiæ Græcæ; hæc enim cum a Protestantibus ad ineundam secum concordiam invitata esset, synodum Hierosolymæ sub Dositheo patriarcha celebravit an. 1672, quæ Protestantium errores damnavit, datoque ad ipsos responso, inter alia catholicæ doctrinæ capita solemniter de sacris libris in *Tridentino* concilio enumeratis professæ est: « Hos omnes judicamus esse canonicos, et S. Scripturam consistemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis Ecclesia catholica. »

(7. Libri spectantes ad Testamentum Vetus dividuntur in quatuor classes, scilicet in legales, historiales, sapientiales et prophetales. *Legales* sunt quinque libri Moysis, seu Pentateuchus, id est Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, *Historiales* sunt Josue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Machabæorum, Job, Esdræ, Tobias, Judith, Esther. *Sapientiales* sunt Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. *Prophetales* sunt Psalmi, quatuor majores prophetæ: Isaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, et duodecim minores: Oseas, Joel, Amos, Michæas, Abdias, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

(8. Libri spectantes ad Testamentum Novum dividuntur et ipsi in quatuor classes, scilicet legales, historiales, sapientiales et prophetales. *Legales* sunt quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis. *Historiales* sunt Actus apostolorum. *Sapientiales* sunt quatuordecim Epistolæ divi Pauli, una divi Jacobi, duæ divi Petri, tres divi Joannis et una divi Judæ Thaddæi. *Prophetales* tandem Apocalypsis beati Joannis apostoli.

(9. Recollectio dictorum omnium librorum vocatur Testamentum Vetus, et Novum duplici ratione. Prima, quia sicuti Testamentum est charta scripta, in qua continetur ultima voluntas hominis, sic in illis libris continetur ultima Dei voluntas, et lex, quam Deus vult ab hominibus servari. Secunda, quia sicuti testamentum est, quo honorum temporalium defertur hæreditas, intercedente testatoris morte, qua contingente, cum esset antea clausum et obsignatum, aperitur; ita per dictos libros sacros defertur nobis hæreditas honorum cælestium, et Christi morte in ea confirmamur, iisque aperti, legimus nos esse Dei hæredes et cohæredes Christi.

(10. Unum autem ex dictis duobus testamentis vocatur Vetus, quia ipsum tanquam jam antiquatum et inveteratum desiit obligare adveniente Novo, uti patet in testamentis, quorum primum jam cessat valere, adveniente ejusdem testatoris secundo. Et aliud vocatur Novum propter novitatem spiritus, quam affert lex Christiana in eo contenta, quæ novos affectus novosque ardores erga Deum excitat in iis, qui illam amplectuntur, et vere observant; unde a Veteri Testamento ad Testamentum Novum proceditur tanquam a figura ad suum figuratum, a signo ad suum signatum, et a parabola ad suam veritatem, quia *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ut expresse habetur *Joannis*, cap. 1, v. 17.

(11. Omnes prædicti libri, tum Veteris, tum Novi Testamenti sunt ab omnibus pro sacris et canonicis, seu a Deo inspiratis habendi, et qui ipsos omnes ut tales non susceperit, aut aliquam veritatem in ipsa contentam negaverit, erit hæreticus; unde concil. *Trident.*, cit. sess. iv, in decreto *De canonicis scripturis*, post enumeratos supradictos omnes libros, sic expresse concludit: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit. »

(12. Libri alii duo, scilicet tertius et

quartus Esdræ non sunt ab Ecclesia recepti pro canonicis, quamvis sint magnæ auctoritatis, et a Sixto V, in sacris Bibliis post libros canonicos una cum oratione Manasse fuerint appositæ, ne penitus pereant, et ut a Patribus citati reperiantur.

(13. Et tanto minus pro canonicis habentur ab Ecclesia liber tertius et quartus Machabæorum, cum ipsi sint et a canone et a Bibliis penitus exclusi, ut patet.

(14. Item pro canonicis non habentur ab Ecclesia plura Evangelia, quæ sub nomine diversorum apostolorum, ut Thomæ, Andree, Bartholomæi, Thaddæi, Barnabæ, etc., circumferuntur conscripta. Sicuti nec pro canonicis habentur alii libri, de quibus omnibus fit mentio, in c. *Sancta Romana* 3, dist. 15, ibique a Gelasio Papa pro apocryphis declarantur. * Apocryphos omnes hosce libros recensuit illustravitque Joannes Albertus Fabricius cum in *Codice pseudepigrapho Veteris Testamenti*, Hamburgi 1713, tum in *Codice apocrypho Novi Testamenti*, ibidem 1719.

(15. Ex libris sacris plures et plures perierunt. Ita S. Joannes Chrysostomus homil. 9 in Matth. et homil. 7, in *primam ad Corinth.*; Belarmin., tom. I *De verbo Dei*, lib. iv, cap. 4; Abulensis, in *Numer.*, cap. 21, quæst. 3, et alii communiter: et hoc clare constat ex pluribus locis ipsiusmet sacre Scripturæ. In primo enim libro *Paralipomenon* cap. ult. fit mentio libri Samuelis videntis et libri Nathan prophetæ, atque libri Gad videntis, ibi: *Gesta autem David regis propria et novissima scripta sunt in libro Samuel videntis, et in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Et, *II Paralipomenon*, cap. rx, fit mentio libri Nathan prophetæ, libri Abiæ Silonitis et libri Addo videntis, ibi: *Reliqua opera Salomonis priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Nathan prophetæ et in libris Abiæ Silonitis, in visione quoque Addo videntis.* Et *ibidem*, cap. xii, fit mentio libri semejæ prophetæ et libri Addo videntis, ibi: *Opera vero Roboam prima et novissima scripta sunt in libris Semeiæ prophetæ et Addo videntis.* Et *ibidem*, cap. xx, fit mentio libri Jehu filii Anani, ibi: *Reliqua gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Anani.* Et *III Reg.* cap. iv, fit mentio de libro trium millium parabolarum et carminum quinque et mille Salomonis ibi: *Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerint carmina ejus quinque et mille.* Et, *ibidem*, cap. xi, fit mentio de libro verborum dierum Salomonis ibi: *Ecce universa scripta sunt in libro verborum dierum Salomonis.* Et, *ibidem*, c. xiv, fit mentio libri sermonum dierum regum Juda, ibi: *Ecce scripta sunt in libro sermonum dierum regum Juda.* Et *II Machabæorum* cap. ii, fit mentio libri Jasonis Cirenæi, ibi: *Itemque a Jasono Cirenæo quinque libris comprehensa.* Et ad *Colossenses* cap. iv, fit mentio Epistolæ B. Pauli apostoli scriptæ ab ipso ad Laodicenses, ibi: *Et cum lecta fuerit Epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesiam legatur, et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* Et in *Epistola catho-*